

Neque in similitudine rationis fundari potest; nam interdictum afficit, ut supra diximus, locum ipsum, eumque reddit quasi inhabilem ad talia munia, inter quæ unum est receptio, vel sepultura corporis fidelis, quod extra illum locum posset optime sepeliri in loco sacro; at vero cessatio non afficit locum, sed tantum personas prohibet in ordine ad locum; et ideo ex qualitate loci, ut sic dicam, non sequitur hic effectus, nec etiam sequitur ex prohibitione imposita personis, cum illa limitetur ad Ecclesiastica officia: ergo. Denique nec ex communi consensu Doctorum vere probatur illud axioma; nam, licet Doctores Canonistæ interdum dicant, interdictum locale sepultura, et cessationem generalem æquiparari, plerique tamen eorum statim addunt, non æquiparari in omnibus, et quoad hunc particularem effectum nunquam expresse et in specie ea æquiparari dicunt, ut patet ex Panormit., dict. cap. Non est vobis; Innoc., in cap. Dilectis, de Appel., et in cap. Irrefragabilis, de Offic. ordin., cum aliis, eisdem locis; et ex Covarr., dict. § 2 et 4, cum aliis, quos refert. Neque in Summistis invenitur in particulari illa æquiparatio, aut illud principium generale, quod cessatio habeat omnes effectus, quos habet interdictum, ut patet ex Sylvest., Angel., Tab. et aliis, verb. *Cessatio*. Ac tandem Navarr., in Sum., num. 488, definiens cessationem, solum dicit, esse desistentiam a divinis officiis, et ab administratione sacramentorum; de sepultura autem Ecclesiastica nihil dicit, affirmans illam esse communem juris interpretum sententiam; ergo recte etiam dictum est hunc effectum nulla sufficienti auctoritate fundari.

33. *Occurritur objectioni.* — Dices: si argumentum factum est efficax, etiam cessatio non privabit sacramentis, quia hæc etiam solent a divinis officiis distingui in jure, cap. Si civitas, de Sententia excomm., in 6, et cap. Episcoporum, de Privilegiis. Respondetur, quamvis officium divinum aliquando accipiatur stricte pro officio publice orandi vel sacrificandi, juxta supra tractata de interdicto, tamen habere etiam generalem significationem, secundum quam in omni proprietate comprehendit ministerium sacramentorum, quia illud est aliquod officium sacrum et divinum. Constat autem hoc modo accipi officium in cessatione a divinis, tum ex omnium sententia; tum ex dict. cap. Non est vobis, de Sponsalibus, ibi, *nulla divina officia præter baptismum parvulorum, et pœ-*

nitentias morientium, etc.; nam illa particula exceptiva, *præter*, aperte declarat, baptismum parvulorum, et pœnitentias morientium fuisse ibi comprehendenda sub divinis officiis, nisi exciperentur, et consequenter alia ministeria sacramentorum, quæ non excipiuntur, sub illa cessatione comprehenduntur. At vero locus sacer, seu depositio corporis in illo in neutra significatione ex dictis comprehenditur sub officiis divinis, quia, seclusa concomitantia alterius divini officii, illa actio revera non est divinum aut Ecclesiasticum officium, sed est tantum opus quoddam pietatis aut misericordiae.

34. *Pura cessatio a divinis non privat Ecclesiastica sepultura.* — Quapropter sententiam hanc in omni rigore veram esse censeo, ubi cessatio ab interdicto separatur; frequenter enim hæc sunt permixta, et cessatio non fertur nisi supposito interdicto; et ideo tunc non solet hic effectus distingui, et vulgus existimat cessationem privare Ecclesiastica sepultura, æque ac interdictum. Si tamen fiat pura cessatio absque interdicto, ut de illa loquuntur jura, sic ratio facta mihi demonstrat non habere hunc effectum.

De pœna violantium cessationem a divinis.

35. Ultimo dicendum superest de effectu magis remoto, qui est pœna; hæc enim quodammodo est effectus, licet per accidens, quia occasione talis prohibitionis incurritur, licet per se, et directe non intendatur per talem prohibitionem. Possumus autem hic considerare vel pœnam ejus, qui causam dedit cessationis, vel ejus, qui cessationem juste latam violavit. De primis duabus dicam sectione sequenti, quia magis pertinent ad causam interdicti; de tertia vero aliquid diximus sectione præcedenti, ubi ostendimus non incurri irregularitatem propter violationem cessationis.

36. *Religiosi non servantes cessationem generalem excommunicantur.* — Quatuor adnotanda circa prædictam pœnam. — *Paludani limitatio excluditur.* — Nunc solum superest addendum; in Clem. 4 de Sententia excomm., latam esse excommunicationis pœnam ipso facto incurrendam contra religiosos non servantes cessationem generalem. In quo textu breviter hæc notanda sunt. Primum, hanc pœnam non ferri contra mere laicos, nec contra clericos sæculares, sed so-

lum contra religiosos, et secundum hunc respectum esse particularem; respectu vero ipsorum religiosorum esse omnino universalem, ut patet ex illis verbis: *Religiosi quicumque tam exempti quam non exempti, cujuscumque ordinis et conditionis existant.* Secundo, quod tunc obligat illa lex, quando hi religiosi viderint, aut sciverint Cathedralē, matricem, seu parochialem loci Ecclesiam cessationem servare; hæc enim sunt fere verba illius textus satis per se clara. Tertio, nulla particularis actio declaratur, propter quam incuratur hæc pœna, sed solum generaliter dicitur: *Non servantes.* Unde quælibet violatio cessationis, quæ ad peccatum mortale sufficit, erit satis ad incurrendam hanc pœnam. Quarto, locum habet hæc pœna, non solum in cessationibus latis a Papa vel Episcopis, sed etiam in his, quæ feruntur a Conciliis provincialibus per sententias vel statuta; imo in his etiam, quæ Capitula, collegia, vel conventus secularium aut regularium Ecclesiarum, sibi vendicant ex consuetudine vel privilegio; totum enim hoc expresse declaratur in textu. Unde aperte deceptus est Paludanus, in 4, dist. 48, quæst. 8, num. 38, dicens illam excommunicationem non habere locum in cessationibus, quæ ponuntur a Prælati, nisi sint etiam interdicta; sed solum in cessationibus Capitulorum, quæ non habent aliud remedium. Sed aperte constat ex textu, in vers. *Quod etiam*, distincte et clare fieri extensionem hujus pœnæ ad cessationes positas a Conciliis vel Prælati, ut ab interdictis distinguuntur. Atque ita notavit Covarruvias contra Paludanum, in cap. Alma, part. 2, § 2, num. 3, et Navarr., in Summa, cap. 27, num. 445, in fine, et num. 489, referens Bonifacium et alios juristas, et alia advertit circa illum textum, quæ in superioribus circa interdictum notata sunt. Idem sentit Soto, in 4, dist. 22, quæst. 3, art. 2, qui tamen citat Sylvestrum in contrarium, in verb. *Cessatio*, num. 5; sed ibi loquitur de cessatione particulari, propter cujus violationem ait non incurri hanc excommunicationem, quod verissimum est; nam textus expresse loquitur de cessatione generali, et sub ea conditione, *ut Ecclesie matricis, vel parochialis loci, ut latius idem Sylvester declarat, Excommunicatio*, 9, n. 90 et sequent.

37. *Satisfit duplici dubio.* — Tandem adverti potest in Conc. Trid., sess. 25, cap. 42 de Reform. regular., præcipi regularibus, ut

in Ecclesiis suis servant, et publicari faciant censuras, et interdicta, etiam ab ordinariis Prælati promulgata, et ipsis præcipientibus. Unde dubitari potest, an hoc præceptum extendatur ad cessationem, quæ non est censura, nec interdictum. Item, an extendatur ad cessationem, quæ non ponitur a Prælate, sed ab aliquo Capitulo. In utroque tamen censeo respondendum esse negative, quia verba sunt stricte intelligenda; et ideo juri communi quoad hoc standum est, et præterea consideranda sunt privilegia postea concessa; nam hæc ex vi illius decreti Conc. Trid. non sunt revocata. Præter hanc vero pœnam nulla alia est ipso jure lata, quæ inter effectus cessationis valeat numerari.

SECTIO III.

Quas ob causas, et quomodo ferenda sit cessatio a divinis.

1. *De causa materiali cessationis.* — Hic potissimum immorandum est, in explicando modo ferendi cessationem; nam cæteræ causæ breviter expediri possunt. De materiali enim dicimus esse aut locum, prout in interdicto, aut certo homines in ordine ad locum, in quo divina facere prohibentur. Vel certe dicere possumus homines esse materiam veluti subjectivam, locum circa quam. Solum ergo quæri posset, an cessatio hæc licite ferri possit pro universa Ecclesia. Aliquibus enim videtur hæc esse contra jus divinum, quod videtur obligare, ut saltem alicubi offeratur quotidie sacrificium in Ecclesia. Sed non video, ubi hoc jus divinum latum sit; et ideo de absoluta potentia Summi Pontificis non existimo hoc repugnare, si causa subesset; credo tamen moraliter subesse non posse, et ideo talis cessatio, sicut hactenus nunquam lata est, ita neque expediet unquam.

2. *De causa efficiente cessationis.* — De efficiente dicendum est, qui potest ferre interdictum, posse etiam cessationem ponere. Ita sentiunt Sylvester, Angel. et alii, verb. *Cessatio*; Soto, dist. 22, quæst. 3, art. 2; Covarruvias, c. Alma, part. 2, § 2, num. 6, et colligitur ex citatis juribus. Ratio vero est, quia jurisdictio Episcopalis, et communis ac publica fori contentiosi Ecclesiastici ad hoc sufficit. Navarrus autem, cap. 27, num. 489, sentit solum Papam posse cessationem ponere post interdictum. Et fundari videtur, quia solus Papa potest restringere concessionem cap. Alma, quod per talem cessationem fieri

